

**De alimentis quibus Graeci Hippocratis aetate utebantur. Dissertatio inauguralis medica, quam consensu et auctoritate illustris medicorum ordinis in alma litteranum Universitate Borussica Rhenana. Pro gradu Doctoris Medicinae et Chirurgiae, rite capessendo die VII. Junii a. MDCCCXXVIII / publico eruditorum examini submittit et defendet auctor Joan. Franc. Herm. Albers.**

## **Contributors**

Albers, J. F. H.  
Typis H. Knirenschild.  
Universität Bonn.

## **Publication/Creation**

Bonae : Typis H. Knirenschild, [1828]

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/psthrvqp>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Suppl/P (P) 52829/2

**DE ALIMENTIS,  
QUIBUS GRÆCI HIPPOCRATIS ÆTATE  
UTEBANTUR**

**DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE BORUSSICA RHENANA

*PRO GRADU*

**DOCTORIS MEDICINÆ ET CHIRURGIAE**

RITE CAPESSENDO.

DIE VII. JUNII A. M D C C C X X V I I I

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ET DEFENDET

A U C T O R

**JOAN. FRANC. HERM. ALBERS**

DORSTENSIS GUESTPHALUS.

BONNAE,

TYPIS H. KNIRENSCHILD.

1828



332279

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

CHRIST. FRID. HARLESS

DECANO SPECTABILI

ET

PHILIPPO A WALTHER,

PRAECEPTORIBUS SUMME COLENDIS.

# HENRICO WITTFELD

MED. ET CHIRURG. DOCTORI

AMICO SUAVISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

## PRÆFAMEN.

---

**H**ippocratis libros evolvens quisque magnam edulium, quae in illis obvenit, copiam varietatemque sane miraturus esset, nisi noverit ex antiquitatis documentis, quanta iam inter priscos Graecos usu recepta fuerit alimentorum tam praesertim vegetabilium quam animalium copia, etsi maximam partem simpli- citer, multoque certe simplicius, quam apud Romanos Luculli et Imperatorum tempore, paratorum. Praeclara quidem exhibuere nuperrimae aetatis philologi Graecorumque antiquitatis et historiae studiosi de moribus, vitaeque domesticae genere, quibus Graeci ante libertatis excidium utebantur. Atque accesse- runt illis ingeniose atque labore haud exiguo conscripti commentarii de re cibaria veterum in universum, quos *Müller*, *Meiners*, et *Becker* nobis tradiderunt. Interea quemque doctrina solidiore vel modice imbutum non fugit, quanti sint ponderis aliorum haud paucorum antiquitatis scriptorum labores omnem fere vitae graecorum rationem ad unguem exponentes, attamen unam tantum rem multo minus explanatam, modo non intactam re- linquentes. Edulia dico, quae longe plurimi Archaeologorum vix aliqua animi attentione studiove specialiore considerare atque sub examen vocare sueverunt. Illi enim philologi ex professo contextus auctorum graeci aut criticae lustrationi aut grammaticae vel historicae, vel alii cuidam antiquariae interpretationi omni

opera incumbentes, aut humeris suis imparem, aut superfluum sterilemve habebant procul dubio laborem recensendae et digerendae definiendaeque amplissimae alimentorum istorum, apud auctores veteres variis immo interdum diversis nominibus significatorum, catervae, quippe quorum naturam viresque ignorabant. Et quodsi etiam commentatorum aliqui medici naturaeque curiosi exponendis veterum alimentis operam dare cooperant, in iis tamen plerumque multum erraverunt, quorum aut characterem naturalem locumve in systemate qualicunque naturali, aut usum, quem hodie adhuc habeant, ignoraverunt. Quid autem illius, qui Hippocratis, Aretaei, aliorumque Graecorum praceptoris diaeteticis medicisque sciscitandis studet, magis interesse potest, quam non solum novisse, quaenam victus ratio illis temporibus maxime quidem inter sanos usu fuerit, quaeve aegrotantibus quoque commendari praesertim sueverit, sed etiam qualis ipsorum edulium potulentorumve usu receptorum fuerit specialior natura atque parandi et componendi modus, quatenus hunc saltem coniicere licet,

Omnia autem haec quum non liceat, opusculi academici inauguralis angustis adeo limitibus comprehendere, nec virium quoque tenuitas talia moliri concedat, subsistere me oportuit in scheme quodam tantummodo declineando, secundum quod elaborandum opus esset tale, quale temporis nostris luminibus, doctorumque desideriis aliqua parte satisfaceret. Cui proposito in posterum, quam primum tempus et occasio favebunt, pro virium modulo plenius digniusque ut respondeam, operam studiosam navabo.

---

## *De Græcorum ante Hippocratem victus ratione.*

*Kαὶ τοι τὴν ἀρχὴν ἔγωγε ἀξιῶ καὶ τον ἄνθρωπον τουτῆν τροφὴ πεχρῆσθαι τα δε γε νῦν διαιτημα τα ἐνρήμενα τετεχνήμενα ἐν πολλῷ χρόνῳ γεγενῆσθαι μοι δοκεῖ.* Ita *Hippocrates*, de vict. in morb. acut. edit. Foes. 1. 9. Quae *Hippocratis* verba, quanquam universaliter pronunciata esse videntur, attamen ad nullum populum aequo modo spectant, quam ad Graecos. Illa, quae ante haec dicta protulerat *Hippocrates*, sententiam confirmant, quae enunciat, primos homines potu ciboque eodem vesici solitos esse, quo ceteri animantes<sup>1)</sup>. Vulgaris haec opinio, quot gentium mythis intexta est?

Fructus enim herbasque, ut *Hippocrates* vult, comedebant homines, qui heroum tempus praecedente vivebant. Ista enim aetate nondum carnes animalium assatas vinaque lauti consumebant, nondum discedentes a fructuum usu. Venatorum bellatorumque vita heroum atrox immolandis mac-

1) Conferantur: *Porphyrius* de abstinentia ab esu animalium. Edid. Reiske 1757. pag. 110 — 111. *Herder's Ideen*. Theil I. S. 93.

Immanuel *Weber*, Dissertatio de ζωωφαγίᾳ antediluvianorum. Lps. 1681.

Dr. J. F. L. *Danz* Versuch einer allgemeinen Geschichte der Nahrungsmittel. Lps. 1806. B. I. Seite 101. u. folg.

Dr. Joh. Hermann *Becker's* Versuch einer allgemeinen und besondern Nahrungsmittelkunde. Mit einer Vorrede von Dr. S. G. Vogel. Erster Theil, dritte Abtheilung. Stendal 1812. pag. 1155 — 1157.

tandisque animalibus corpori cibum nutrientem aequa ac animum atrocem reddentem parabat, non iam

Contentique cibis, nullo cogente, creatis  
Arbuteos foetus, montanaque fraga legebant  
Cornaque et in duris haerentia mora rubetis  
Et, quae deciderant patula Jovis arbore glandes.

*Ovid. Metamorph. Lib. I. V. 98.*

Ex rhapsodiis homericis satis probabili modo demonstratur, homines ab immolandi diis consuetudine ad ipsum carnium esum esse adductos. Nescio ullo alio modo deducere morem, quo omnis ex carne cibus sacrificium nominatur :

*'Οι δ' ιέρευνον δῆς μεγάλες καὶ πίονας ἀγαστοί,  
ιέρευνον δὲ σύνας σιάλες καὶ βάνη ἀγελαιήν.  
σπλαγχνά δ' αἷρ' ὀπτίζαντες εὐώμων. ἐν δ' αἷρα οἶνον  
κρητῆροιν περόνωντο. κύπελλα δὲ νεῖμε συβάτης·  
σῖτον δὲ σφ' ἐπένειμε Φιλοίτιος, ὅρχαρμος ἀνδρῶν  
καλοῖς ἐν πανέοισιν*

*Homer. Odyss. rap. XX. v. 250. etc.*

Quibus consentiens dicit philosophus quidam :

*'Επεὶ καὶ τοῦ θεοῦ τοιοῦτο πατειλήφαμεν τῶν ἀνθρώπων, ὅτε μὲν δυνὴ ηττούντο  
ἐμψύχον βορᾶς, ὅνδ' ἀπαρξαμένων ἀπὸ τῶν ζώων. ἀφ' οὗ δέτ, ἐγεύσαντο, παῖς Θεοῖς  
ἀπαρξαμένων.*

*[Porphyrius de abstinentia ab esu animalium.*

*pag. 163 at 164.]*

Coenae, quas in bello troiano heroes sibi parabant, haud differebant ab illis, quas Pelenopes amatores in *Ulyssis* divi domo sibi instruebant. Quibus egregie enarratis praeclaram graecorum illius temporis coenandi ciborumque, quibus utebantur, imaginem nobis tradidit *Homerus*, ex quo elucet, belli troiani aut Homeri tempore, omnes Graeciae incolas eadem cibi et victus ratione usos esse. Carnes, quibus vescebantur, erat aut suilla aut bovina aut caprina aut ovilla; vinum erat illud, quod Graecia procreabat. Panis variis formis ex hordeo conficiebatur; primum enim

panem ex tritico sumebant Graeci, quum Graeciam magnam, p[ro]ae ceteris Siciliam cognovissent. Panem ex hordeo, μάζαν a μάττειν nominabant, τό ἄρτος autem panem ex tritico, utrumque ἀλφίτον dixerunt<sup>1)</sup>.

Fructus radicesque esse his temporibus commesos, auctoribus de his tacentibus, non est, quod dubitem, Graecia tot talesque nobiles gignente fructus.

Posteriore tempore, ut omnia omittam secula, quae *Hesiodum*, *Lycurgum* et *Solonem* includunt, quo *Miltiades*, *Themistocles*, et *Herodotus* vivebant, duae in Graecia victus rationes florebant, quae ab hoc tempore omnino discrepantes in populo erant, quarum unam λακωνικὸν, alteram autem Ιωνικὸν nominabant. *Aelian.* var. hist. lib. XIV. cap. VIII.

Simplex et paucis instructa cibis erat coena laconica, quae opsonia et dulcia (ηδύσματα, bellaria) contemnebat, solis cibis, iusculo (quando parari incoeptum sit, nescio), carne, paneque vinoque contenta. Inter carnes amabant laconici, suillam coctam, ex qua iusculum nigrum, μέλας ζωμὸς<sup>2)</sup> in pheiditiis parabatur. Quo autem iusculo lege constituta parato praecipue vescebantur, attamen bovinam caprinamque carnem in sacrificiis adhibebant<sup>3)</sup>.

Volucrum et ferarum carne, quam venatione sibi parabant, pro bellariis iu coena utebantur. Panem hordeaceum inter iusculum et carnem edebant, triticeum, quem dono coenae socii accipiebant, inter delicias sumebant. Panem singularem, foliis lauri circumdatis pueris edendum dabant<sup>4)</sup>.

---

1) Müllers Geschichten hellenischer Stämme und Städte. Die Dorier. Zweite Abtheilung. Breslau. 1824. pg. 285.

Confer locos postea adductos apud Athenaeum de placentis occurrentes. idem. *Aelian.* var. hist. 14. 7.

*Becker.* lib. cit. pg. 1188. u. 1189.

2) *Aelian.* var. histor. 3. 31.

3) *Plutarch Lycurg.* 12. compara. Meursi. miscel. laconica I. 8.

4) *Athenaei deipnosophistarum libri quindecim.* Lugduni. 1612. lib. 4. initio p. 141. b. *Xenophont.* polit. lib. 5. cap. 3.

Alio autem modo agebant illi, qui ionicam victus rationem persequerentur. Attici omnesque, qui insulas inter graeciam asiamque, qui, Macedoniam, Thraciam Asiamque minorem incolebant, huic coenandi modo dediti erant, ut λακώνικον omnes celebrabant, qui dorii cognominabantur, habitantes in Peloponeso, Creta, et ex parte in graecia magna. Negari non potest ex Asia in Graeciam ionicum coenandi modum delatum esse, modo bello persico, modo navibus atticis Athenas migrasse, in quibus posteriore tempore tanta pollebant coqui.

Jonice coenantes edebant olera et legumina carnes et coctas et assatas, adjicientes simul pisces, condimenta et fructus dulces. Quae coena cum iam ex opsoniis (ab ἔψω, coquo) cibis, σιτοῖσι et bellariis, ἡδύσμασι construebatur, in tres partes erat divisa, qua de causa Herodotus in comparanda victus ratione Persarum cum illa Graecorum, quae praecipue ionica erat, inquit:

σίτισι τε ὄλιγοισι χρέον ἐπιφορήμασι δε πολλοῖσιν. ναὶ διὰ τοῦτ' φᾶσι περσαῖς τοὺς Ἑλλήνας σιτεομένους πεινώντας πανέσθαι.

Athen. deipn. lib. IV. cap. X.

Multa nova, quae a victis Persis sibi vindicaverant Graeci, mores corruperant. Novas enim delicias gustantes in coenis magis magisque accumulaverant ciborum, opsoniorum, bellarium, quae ἡδύσματα vocabant, copiam, imum vere mare exhaustiebant vergebantque retibus, immensa impensi aurei argenteique copia, ut linguam gulamque pro temporis minuto irritarent. Nihil autem praeclarius, nihil iucundius, quam in comparandis cibis tam variorum generum, singularem simplicitatem invenire, qua Graeci a compositionibus fere omnibus apud Spartanas abhorrebat; unde singulis cibis singuli coqui praeerant <sup>1)</sup>. Qua ex causa luxuria in coenando, quam Graeci alebant, ab illo Romanorum immodico componendi varietatem numerosam ferculorum amore longe differebat <sup>2)</sup>.

1) Müller lib. cit. Aelian. var. hist. 3. 21. u. 14. 3.

2) Coelius Apicius de opsoniis et condimentis sive arte coquinaria lib. decem. Edid. Mart. Lister. Amstelod. 1709.

Ut opusculi argumentum angustius contraherem, et quo magis finem adsequerer, *Hippocratem* legentibus aliquo commodo esse, ad conspectum strictiorem apparatus diaeteteci coenamdiique peneris inter Graecos exhibendum elegi aetatem, qua Hippocrates ille florebat. Primum quidem enumerabo huius aetatis edulia, quae simplicia sine additis aliis rebus sumebantur, tum de compositionibus inter Graecos usitatis sermo erit. Alia adnotanda postea sequentur.

---

### *Alimenta e regno animali* \*).

---

#### E QUADRUPEDIBUS.

Lactantes porci, γαλαθηνὸι <sup>1)</sup>, lumbi eorum siccatai, ψυᾶτι <sup>2)</sup>, lepus <sup>3)</sup>, vulpes, suillum cerebrum, hoedus, boves, oves, capri et alia animalia, quae in silvis degunt, in usu erant: carnes boum, caprorum et suum assatae <sup>4)</sup> in sacrificiis adhibebantur, quae pheidiis intercedebant.

#### E VOLUCRIBUS <sup>5)</sup>.

Phasanorum perdicumque pulli, anseres, gallinae, ὄφεῖς, attagen, perdix, otos, coturnix, chennia, cygni, anates, columbi, turtures, quibus accedebant multa alia volucrum genera, ut in coena nuptiali, quae in deipnosophistis Athenaei legitur, narratur.

---

\* ) Notandum est, ex Athenaei deipnosophistarum libris alimentorum enumerationem esse sumtam, cum hic ipse refert in libro primo, se de alimentis arteque haec parandi esse locuturum, qualia veteribus graecis usitata fuissent. Illa ipsa autem, quae adduxi, spectant ad tertium et quartum ante nostram aeram saeculum, qua quidem aetate Hippocrates vixit.

1, 2, 3.) Athenaeus. lib. cit. pag. 396. Ut brevis essem, loco auctorum, qui de alimentis scripserint, quos Athenaeus adducit, ipsos Athenaei locos citavi.

4) Ἀριδῶτοι ημέραι secundum Hesychium.

5) Quae avium enumeratio occurrit in Athenaei deipnosophist. lib. cit. pag. 144.

E PISCIBUS.

Amia <sup>1)</sup>, scorpius <sup>2)</sup>, locusta <sup>3)</sup>, capella <sup>4)</sup>, porcellus <sup>5)</sup>, anthias <sup>6)</sup>, collichthys <sup>7)</sup>, ellopes <sup>8)</sup>, pampilus <sup>9)</sup>, epopaeus <sup>10)</sup>, gabius <sup>11)</sup>, leucon <sup>12)</sup>, chrysophoris <sup>13)</sup>, perca <sup>14)</sup>, iulus <sup>15)</sup>, mullus <sup>16)</sup>, (barbatus) turdus <sup>17)</sup>, aphyta <sup>18)</sup>, et aphyo <sup>19)</sup>, qui tres ultimi ad salsamentum adhibebantur, quorum species aphritis et aphyta cobitis, alia est memeradum soboles, alia maenidum, alia mugilum parvorum, epseton, triglitis, arherrina, cobitis. Acharnus <sup>20)</sup>, batus <sup>21)</sup>, hebrades <sup>22)</sup>, althenaeus <sup>23)</sup>, mugil <sup>24)</sup>, belenus <sup>25)</sup>, booglossus <sup>26)</sup>, squalus <sup>27)</sup>, eius consanguinei plures in culina adhibebantur, glaucus <sup>28)</sup>, tullo <sup>29)</sup>, anguilla <sup>30)</sup>, erythrinus <sup>31)</sup>, enerasicchali <sup>32)</sup>, thynnus <sup>33)</sup>, hepatus <sup>34)</sup>, sive lesbicus, elacatenis <sup>35)</sup>, thynuis <sup>36)</sup>, hippuri <sup>37)</sup>, merula <sup>38)</sup>, aper <sup>39)</sup> et cremus <sup>40)</sup>, citharus <sup>41)</sup>, cordylus <sup>42)</sup>, cammari <sup>43)</sup>, coracinus <sup>44)</sup>, canis <sup>45)</sup>, cyprius <sup>46)</sup>, cuculus <sup>47)</sup>, carchorias <sup>48)</sup>, lupa <sup>49)</sup>, latus <sup>50)</sup>, lecobatus <sup>51)</sup>, muraenae <sup>52)</sup>, myrus <sup>53)</sup>, maenides <sup>54)</sup>, leucomaenides <sup>55)</sup>, melanurus <sup>56)</sup>, melanderines <sup>57)</sup>, mormyrus <sup>58)</sup>, gladius <sup>59)</sup>,

---

1 — 2) Athenaei lib. cit. pag. 278.

3 — 8) ibid. p. 282.

9 — 10) ibid. p. 283.

11 — 15) ibid. p. 284.

16 — 19) ibid. p. 285.

20 — 21) ibid. p. 286.

22 — 23) ibid. p. 287.

24) ibid. p. 310.

25 — 26) ibid. p. 288.

27 — 29) ibid. p. 297.

30 — 37) ibid. p. 310.

38) ibid. p. 300.

39 — 40) ibid. p. 309.

41 — 43) ibid. p. 310.

44 — 48) ibid. p. 310.

49 — 59) ibid. p. 311.

arphus <sup>1)</sup>, orrynnus <sup>2)</sup>, onos <sup>3)</sup>, oniscus <sup>4)</sup>, pagurus <sup>5)</sup>, pelanus <sup>6)</sup>, scarus <sup>7)</sup>, cicus <sup>8)</sup>, scorpius <sup>9)</sup>, scomber <sup>10)</sup>, sargus <sup>11)</sup>, salpa <sup>12)</sup>, sinagris <sup>13)</sup>, syrodontes <sup>14)</sup>, saurus <sup>15)</sup>, scepinus <sup>16)</sup>, syagrides <sup>17)</sup>, sphyrænae <sup>18)</sup>, sepia <sup>19)</sup>, trifle <sup>20)</sup>, taenia <sup>21)</sup>, channa <sup>22)</sup>, chrysophrys <sup>23)</sup>, chalcides <sup>24)</sup>, eritimos <sup>25)</sup>, thralluae <sup>26)</sup>, taulopias <sup>27)</sup>, soligo <sup>28)</sup>, hiscus <sup>29)</sup>, passer <sup>30)</sup>.

Praeterea multa alia praeter pisces e mari coenae parabantur, nam Athenaeus affert quendam Philoxenam philosophum, quem *καριδες*, See-krebse, concoxisse dicit <sup>31)</sup>.

Alia, quae e regno animali esui adhibebantur graecorumque stomacho parabantur sunt: ova <sup>32)</sup>, mel <sup>33)</sup>, cicadum quaedam species <sup>34)</sup>, cochlea <sup>35)</sup>, quae sub illo aenigmatis vocabulo in coenam afferebatur: in silvis nata, spinis carens, exsanguis, humida via incedens. Polypi <sup>36)</sup>, cum vino cocti inter delicias habebantur. An cancri fluviatiles in coenantium usum venerint, nullo modo invenire potui. Caseum, lac caprinum, asinimum, equinum usui fuerunt <sup>37)</sup>.

Omnia haec, quae e regno animali coqui parabant et aut cocta, aut assata mensae instruebantur, simul cum pane edebant Graeci.

1 — 5) Athenaeus lib. cit. pag. 314.

6 — 22) ibid. p. 314 — 323.

23 — 29) ibid. p. 323 — 328.

30) ibid. p. 329.

31) ibid. p. 6.

32 — 33) Athenaeus lib. cit. pluribus in locis.

34) ibid. pag. 282.

35) ibid. lib. secund. ab initio.

36) Hippocrates opera omnia. Edid. Kühn. Tom. II. pag. 499.

37) ibid. de affectionibus internis. pag. 474.

## Alimenta e regno vegetabili.

Cicer <sup>1)</sup>, faba <sup>2)</sup>, myrti baccae <sup>3)</sup>, aesculi glans igne tosta <sup>4)</sup>, bulbi <sup>5)</sup>, et olivae <sup>6)</sup>, et olera plurima <sup>7)</sup>, pruni <sup>8)</sup>, cerasi <sup>9)</sup>, sycamena <sup>10)</sup>, ficus <sup>11)</sup>, mori fructus <sup>12)</sup>, amygdalae <sup>13)</sup>, radiculae <sup>14)</sup>, rapa <sup>15)</sup>, quae corynthia inter omnium dulcissima dicitur species: *κώροι* <sup>16)</sup>; malvae <sup>17)</sup>, cucurbitae <sup>18)</sup>, turgus <sup>19)</sup>, cion <sup>20)</sup>, quae in Ceo insula invenitur; asparagus <sup>21)</sup>, *ἀκαλήφη* <sup>22)</sup>, id est urtica, *κιβωτία* <sup>23)</sup>, fabae species; mala <sup>24)</sup>, μῆλα; persica <sup>25)</sup>, napys <sup>26)</sup>, et alia huiusmodi olera in usu fuisse, ex illis constat, quanquam *Athenaeus* horum meminisse omissis, quod *Hippocrates* in libr. de diaeta in morbis acutis, et de affectionibus internis earum meminit, quem *Aretaeus* <sup>27)</sup>, *Galenus* <sup>28)</sup>, et *Coelius Aurelianus* <sup>29)</sup> sequuntur.

Betae omnis fere auctor meminit; cepae <sup>30)</sup>, quarum species, quae bulbus nominabatur, graecis assata inter delicias erat, unde illud *Platonis* apud *Athenaeum*:

Ἄρξόματε ἔξ βολβοῖο, τελεύτησο δε ἐπὶ θύραι.

1 — 9) *Athenaeus*. pg. 131.

10 — 15) ibid. lib. secund.

16) ibid. et Hippocrat. de internis affectionibus. *Dioscoridis*, *Anazarbei de materia medica* lib. V. *Coloniae* 1529. pg. 249. *Mathioli* in *Dioscoridem* commentarii ad hunc locum.

17 — 23) *Athen.* lib. sec.

24 — 26) ib. in initio lib. tert.

27) de causis et signis morbos. diast. et acutor. *Lugdun.* 1737.

28) *Claudii Galeni* commentar. in *Hippocratis diaetam* in morbis acutis. *Basileae.* 1542. conferantur alii de eodem libro; *commentationes Musitanus, Brasavolus.* etc.

29) *De morbis acutis et chronicis* libr. octo. recens. I. C. Amman. *Amstel.* 1855.

30) *Athenaeus* lib. cit. pag.

blitum<sup>1)</sup>, βλιτον, sinapi<sup>2)</sup>, pastinaca<sup>3)</sup>, κεφαλωτον vocata, pyrus<sup>4)</sup>, mespila<sup>5)</sup>, favi<sup>6)</sup>, connaros<sup>7)</sup>, paliuros<sup>8)</sup>, sidas<sup>9)</sup>, palmula<sup>10)</sup>, caricae<sup>11)</sup>, lenticulae<sup>12)</sup>, papaver<sup>13)</sup>, [forsan capita] laser<sup>14)</sup>, cucumeres<sup>15)</sup>. Quae omnia Joniorum tantum mensae servisse videntur, cum dorii gentes continuo perstabant in vetere, a Lycurgo constituto dapium ordine, qui ab olerum omnium que vegetabilium esu, ut satis constat, omnino abhorruit<sup>16)</sup>.

Frumenta<sup>17)</sup> ad panes conficiendos duo adhibebantur: panes enim aut ex hordeo aut ex tritico parati τὰ ἄλφιτα vocabantur. Panis Blomilius e tritico sine furfure paratus, Romanis panis quadratus, Graecis autem ἄρτος vocabatur.

Maza erat placenta ex hordeo confecta, cui Athenienses aut ob formam, aut ob festum, quo adhibebantur, varia dedere nomina. Nominabant enim: placentam cardulem, beraca, tolypa, achilleam; aliam placentam, quae mammis figura similis in sacris, hygeam vocabant in sacris gustanda porrigebatur. Plerumque in festis panem ἄρτον edebant: ut e Solonis lege elucet:

Σωλων δε τοις ἐν πρυτανειω σιτουμένοις μαζαν πελλύει ἄρτον δε ταις ἑορταις προσπαθα θιθένται.

Athenaeus. lib. IV. cap. VI. pag. 157.

Graeci vinis variis utebantur ut: vino lesbio, thasio, trammo, chio. Aearchus apud Athenaeum pag. 18. messenio, peparethico, leucadio, psi-

1) Hippocrat. opera. Edit. Kühn. tom. II. pag. 413.

2) — 3) Athen. lib. cit. pag. 366 et 367.

4) — 6) ibid. 399 u. folg.

7) — 12) ibid. lib. XV.

13) — 15) Hippocrat. lib. cit. pag. II.

16) Müller. lib. cit.

17) Xenophont. memorab. lib. III. cap. XIV. 4. Hippocrates de diaeta in morbis acutis. plur. in locis. Edid. Kühn tom. II. pag. 48. I. Galenus ad hunc locum.

Athenaei deipnosophist. lib. tert. pag. 115.

thio, byblinaeo, qui e Phonice aportabatur, palmeo, mendaeo, cicantheo, corinthio, euboico, sciathio, biblino, apyro, parysthio, carystio, aulite, caprio, amphi, trozenio, qui bibant generare neguntur; anthosmio, myrite, zacynthio, coo, myndio, halycarnasio, maracothio, alexandrino. Plura vinorum simul in coena, diversis cibis congruentia adhibebantur <sup>1)</sup>. De variis vini generibus preclare disseruerunt Becker <sup>2)</sup> et Vogel, quorum scripta dictis sunt comparanda.

Alia vinorum divisio graecis usita erat ut ex scriptis Hippocratis elucet: primum ad colorem discernebant: ὄινος ἐρυθρόν, λεύκον, κίτρινον, ξανθόν, μελανα, ὥχρον. Ex mixtione cum aqua et aliis adiectis habebant ὄινον ἀδυνάτον, vinum cum aquo mixtum, ἀπαράχολον, θαλάσσιον, τεθαλασσικόν, διλυγοφόρον, παχύν. Dein ad gustum: ὄινος αυξήσον, στρογγύλον, στοφοντα, γλυκον, δριμύν. Quarta divisio ad praeparationem spectabat: ὄινον βέαιον, διάχυλον, γυψώδεα etc. Hippocrates de vic. rat. in morbis acutis. in plur. loc. Becker lib. cit. pag. 1177. Diocorid. pharmaca. Petri Andreae Mathioli commentarii in libros Dioscoridis de mat. medica. Venetiis 1558. var. in loc. Musae Brasavoli Comment. in lib. Hippocr. de victus rat. in. mor. acut. Venet. 1547. lib. III. pag. 1 et 2. Histoire de la Santé par Jaques Mackensie, a la Hage. 1759. pag. 94. Galenus eiusque varii commentatores quoque huc spectant. Coelius Aurelianus lib. cit. pg. 177 u. 178.

#### DE CIBIS COMPOSITIS.

Inter compositiones praeprimis erant salsamenta <sup>3)</sup>; omnia, quae sale condibantur, sic appellabant. Condibant autem sale pisces, carnes animalium et plantas.

E piscibus condibant illos, qui minime pingues erant, ut thynnos, qui Bizanthini aut Gladibus capiebantur, inde salsamenta Gaditana; cybium, oraeam, sardam, scombrum, cobam, amyclatum sextanum.

1) Athenaeus in libr. prim. et aliis in locis.

2) lib. cit. pag. 1173. u. folg.

3) Apicii Coelii de opsoniis et condimentis, sive arte coquinaria lib. decem. Edit. Mart. Lister. Amstel. 1704. sub voce salsamenti.

An autem ut romani <sup>1)</sup> ad condimentum carnium plantas acres, ut thymum, sinapi, rapas, et piper adhibuerint, ex illis, quae nobis apud Athenaeum exstant, non satis liquet. Condire amabant olivas et quosdam alios fructus dulces.

Tertium cibi compositi genus est illud, quod λώπη graeci, romani autem patinam vocabant. Athenaeus <sup>2)</sup> affert enim *Platonem* dicentem:

οὐδε λώπης κακὸν ἐστιν.

Ut autem ex *Apicio Coelio* <sup>3)</sup> constat, λώπη significat patinam, quae ex variis constabat, cuique nomen ex illo ingredientium dabatur, quod maximam cibi explebat partem: inde Romanis sermo erat de patina de asparagis, de sambuco, de rosis, ex lacte; aut patinae erat nomen illius qui compositionem edulium invenerat, ut patina apicaria et porro.

Macedonibus erat infarctio porcellorum cum fructibus usitata: graecis idem observatum non satis liquet placentae dulciariae usitatae in coena nuptiali semel *Athenaeus* memorat. lib. IV. initio.

---

### **De commissariorum apud Graecos temporibus et cibandi modo.**

Ut victus ipse *Homeri* heroum ab illo Graecorum, qui *Hippocrati* aequales erant, differebat, sic tempora cibandi non eadem fuere.

---

1) Coel. Apic. lib. cit. pag. 40.

2) lib. cit. pag. 5.

3) lib. cit. pag. 109, 110, 111, at 114.

Illis enim temporibus, quibus heroes, quos Homerus cantat, bella gerebant, quater de die rite cibos capiebant. Matutinis capiebant ientaculum, ἄριστον, ut Homerus:

'Οδύσσευς καὶ δίος ὑφορβός, ἐντυμνόντο ἄριστον ἀμ' ἥτι πειαιμένω πῦρ.

Cui ex Anthiphane locus consentit, quem Athenaeus in lic, I. cap. IX. affert <sup>1)</sup>:

"Ἄριστον ἐν ὅσῳ ὁ μάγειρος ποιεῖ, ἔτι ἐπάγει. συνα πρατίσσασθαι. etc.

*Philemon* apud *Athenaeum* tradit antiquis haecce fuisse edendi tempora:

ἀνατίσμον, ientaculum, ἄριστον, prandium,  
ἐσπέρισμα, merendam, δεῖπνον, coenam.

*Aeschyli* temporibus terde die cibum capiebant graeci, ut ex illis patet,  
quae Palamydem dicere sinit *Aeschylus*:

καὶ ταξιάρχας καὶ σολαράρχας καὶ ἐκατοντάρχας καὶ ἐπαρχαίς).

τάρχας ἐταξα. σῖτον μεν ἐιδέναι, διώρισα.

"Ἄριστα, δεῖπνα, δόρπαθ' αἰρεῖσθαι τρίτα.

Eustathius, quem Casaubonus<sup>3)</sup> affert, strictius definit edendi tempora:

Δεῖπνον καὶ τὴν προσ ἐσπεραν ἐλέγετο, ὡς καὶ πάρος Ἐνάρητος ἐν Ἀράβῃ  
καὶ ἀπλῶς τε πᾶσα τροφή, το' μεν πάρος Ἀισχύλῳ, "Ἄριστα, δεῖπνα, δόρπαθ',  
αἰρεῖσθαι τρίτα, η̄ μάλιστα τρίτα κατὰ τοὺς καλαιοῦς, κακῶς ἐρημῆναι κρίνουσιν οἱ  
καλαιοίς.

Posterioribus ergo Graecis tria edendi erant tempora, quorum ientaculum aut ἄριστον vulgo ex pane et vino constabat; panem autem vino  
intinctum edebant.

1) Confer J. Casaubon in hunc Athenaei locum.

2) Sic enim lego cum Casaubono loco: καὶ ἐκατοντάρχας ἐταξα.

3) Casaubon. in *Athenaeum* annotationes. lib. cit. pag. 33.

*Athenaeus* edid. Schweighäuser ad hanc locam.

Ex quibus antem prandium constiterit non satis liquet: sed coena, ut sequitur, instruebatur:

Primum afferebantur *obsonia*, quae erant omnia cocta simul cum pane edenda: olivae salitae, radiculae, rapa, *κωνοι*, malvae, cucurbitae, turgi, cion, asparagi, urtica, bulbi, cepa, cochlea, suillum cerebrum, acetum, cicera, palmae cerebrum, *ἐνισφατος φοίνικος*, pisces saliti ut *ἄγνατος* (Sardellen), scombri.

Cibi secundo efferebantur, constabant maxima ex parte ex carnibus piscibusque omnis generis et coctis et assatis: neque despiciebant inter cibos volucrum carnes, quibus magnopere delectabantur. Vide animalia, quae ad esum adhibebantur, antea enumerata<sup>1)</sup>.

Dein *ἡδύσματα*, a graecis sic vocata afferebantur, quae autem ut postea explicabo Romanorum bellariis non omnino correspondebant. Diversis Graeciae regionibus coena hac in parte differebat: Apud *Athenaeum*<sup>2)</sup> inter *ἡδύσματα* numerantur: fucus, cicer, faba, myrti baccae, aesculi glandes igne tostae, simulque panes diversae formae e tritico circumferebantur in canistris, quos placentas<sup>3)</sup> nominabant.

In genere ergo legumina et olera radicesque opsonia, carnes cibi, *σῖτοι*, et fructus dulces, *ἡδύσματα* erant. Semel tantum obveniunt in enarrata Cotyis thraciae regis coena nuptiali acria inter dulcia allata.

Inter cibum sumebatur primum frigidum, dein calidum, dulce et austерum vinum<sup>4)</sup>; vini plura genera afferebantur, qui eduliis consentanea erant. Cantus et saltationes inter coenae singulas partes habebantur, qui eo excellentiores, quo magis divites erant illi, qui ad coenam iuvitaverant<sup>5)</sup>. Declamatores recitatoresque, immo dramas non neglecebant.

1) Athenaeus enarrationes Iphicratis et cotgis coenacum nuptialium. lib. cit. II. et lib. IV.

2) lib. cit. pag. 131.

3) ibid. pag. 131.

4) Athenaei lib. cit. pag. 129.

5) ibidem diversis locis.

Quibus omnibus et audiendo et videndo edendoque efficiebatur, ut dimidiā partem diei et noctis coenantes coenae tribuerent.

### **A d n o t a n d a.**

Iamiam dicta, graecorum victus rationem simplicem et frugalem non fuisse efficiunt. Auctores autem existere, qui graecos populum frugalem nominent, aequē mirandum est, ac inveniri istos, qui illam superfluam luxuriosamque victus rationem ad summum inedii fastigium ab graecorum simplicitate discedentem depingant. Prius dixi duas Graecis fuisse victus rationes, quarum altera laconica, altera attica seu ionica nominata sit. Laconica <sup>1)</sup> victus ratio, quae simplex et frugalis erat, illum assecuta est diem, quem Lycurgi leges assecuta sunt, per varias Graeciae faustas infaustasque fortunas in Sparta floruit, quamquam Cretae et aliarum insularum, quas Dorii incolebant, paullulum ab hac victus ratione deflectebant incolae. Quonam modo persecuti hanc vivendi rationem, quibusnam in coenis usi sint, iam supra in heroum vivendi rationis descriptione fusius, illis consentiens, quae Müller praeclare exhibuit <sup>2)</sup>, exposui. Dimidia Graeciae pars luxiosae vitae innoxia remanet, antiquorum frugalitatis edendi vivendique modo renitens. Quae autem vulgo Graeciae luxuriam inculpantes <sup>3)</sup>, negligunt.

1) Vide antea pag. 5.

2) Müller, Carl Ottfried Dr. Geschichten hellenischer Stämme und Städte. Breslau 1824. 3. Bd. die Dorier. pag. 273. u. folg.

3) Meiners Christoph. Geschichte des Luxus der Athenienser. Lemgo. 1782.

Ps. in einer Critic über Pitsehaft Uebersetzung der Aphorismen des Hippocrates. In Rust und Caspar Magazin für die gesammte Heilkunde. Band 15. Stück 3.

His quidem licuit esse frugales, quanquam altera pars ionico more vivens, contraria agebat. Graeci illi, *Hippocrati* aequales, quos cl. *Pitschaft*<sup>1)</sup> frugales dicit, luxuriosam, ut vidimus agebant vitam. *Hippocrates* enim vixit inter Jonios, qui illo tempore nequaquam frugales erant. Scimus, quanti hi faciebant piscium esum, quanti carnium assatarum, vina generosa ex aliis terris sibi petentes.

Fructuum horaeor., ut vidimus, non minimam copiam consumebant; obsoniorum autem tantam amabant, ut panem, qui cum obsonio simul ingerebatur, omnino negligerent, sibi forsan irritatione, quam obsonia efficiebant acria, famem adducere cupientes. Qua de re *Socrates*<sup>2)</sup> secum recumbentes ὄψογοῦς nominat panemque edere iubet. Quam necessarium Graeci obsonii esum putaverint, ex illis mihi evidentius eluxit, quod *Hippocrates*<sup>3)</sup> in prasscribenda diaeta continuo adnotat, quidnam pro obsonio, quidque pro cibis aliis sumendum sit. Quid, quod ipsa sub hieme obsonia sibi parare studebant, ut *Aristophanes* apud *Athenaeum* lib. XI. cap. 3. narrat.

De cibis nihil aliud addendum habeo, quam quod saepius cum ἡδύσμασι parata sumebantur. Vid. *Athenaei*. lib. IV. c. I. et III.

De dulcibus hisce aut ἡδύσμασι bellaria vulgo vocatis nonnulla adnotanda sunt. Constat enim vulgaris fere auctorum opinio, illa nostris saccharatis et aliis dulcibus aromaticisque rebus a cupediorum conditore confectis admodum similia fuisse. Sic enim Anon. ille dicit, graecis in theatris comesta esse τραγήματα, quae cum nostro Confect s. Zuckerwerk aequalia sint putanda. Nullo autem loco apud *Athenaeum* occurunt dulcia talia, qualia nostris cupediis saccharinis *Confect* dictis respondent, et recte interpretatus est Schneider

1) Die Aphorismen des *Hippocrates* verdeutscht und commentirt. Berlin 1825.

In der Erklärung zum 4. u. 5. Aphorismus.

Becker. lib. et pag. cit.

2) Xenophon. memor. lib. III. cap. 14. lib. II. cap. I. Meiners lib. cit. pag. 38.  
Ps. in Rustici repertoris critico Vol. XV. pag. 366.

3) Πέρι τῶν ἐντος πάθων. pluribus in locis. idem in libris πέρι διαιτης.

**verbū τραγήματα:** Nūsse; omne enim genus ἡδύσματων, cuius species est τραγημα, e fructibus dulcibus sumebatur, ut ait *Athenaeus* lib. cit. enumeraens ἡδύσματα: <sup>1)</sup> cicer, falca, myrtæ baccae, aesculi glans igne tosta, etc. semelque placenta dulciaria inter bellaria in Macedonica coena enumerantur.

Bellaria, ἡδύσματα, quae Graecis usitata erant, sunt ergo fructus dulces.

De cibis autem in genere dici potest, eos, quamquam multi ac variū luxurioseque in Jonica victus ratione pararentur, compositione tamen multiplici caruisse. Compositos cibos fere nullos affert Athenaeus, praeclarus coenarum descriptor. Hac in re Graecorum antiquorum simplicitas multum servata est. Haec duabus ex causis fieri poterant, aut ideo quod, ut Spartæ solitum erat, singulis cibis singuli coqui praeerant, qui illos artificiosius componere nondum didicerant, aut quod Graecis mos erat, aut fructus solos aut animalia sola, neque utraque simul in sacris festis libandi.

Hisce circa Graecorum diaetam in genere notatis quaedam adhuc epimetri loco subjiciam.

I. Quanquam in nonnullis conviviis apud *Athenaeum* et *Aristophanem* descriptis admodum luxuriose inter Athenarum divites agebatur, nescio an urbem hanc generaliter immodicæ victus epularumque luxuriei accusare exinde liceat. Neminem certe fugit, qua frugalitate *Socrates* vixerit, quave *Diogenes*. Idem de *Aristippo* novimus. *Theophrastum* <sup>2)</sup> cramben ementem offendit mulier Atheniensis, quod lingua peregrinus esset. Quum vero viri, qui tanta discipulorum societate gaudebant, frugali modo viverent, quid de discipulis hisce multisque ceteris putandum erit, quorum etsi nullam historia faciat mentionem?

<sup>1)</sup> Vide *Xenophontis memor. Socratis.* lib. III. 14.

*Aristophanis Nubes.* v. 956. et *Acharnenses* v. 1089.

*Athenaei* lib. cit. IX. 3.

*Meiners* lib. cit. pag. 38.

*Anon. Ps. in Rustii et Caspari Repertorio critico vol. XV.* pag. 564.

<sup>2)</sup> Cfr. *Theophrast. Character - Schilderungen*, übersetzt und erläutert von *Hottiger*. München. 1821. In der Einleitung.

II. In qualibet fere apud *Athenaeum* descripta coena non solum laute cibis aliisque edulii mensae instruebantur, sed pulchriora exstabant in mensa vasa, celebriores erant saltatores, musici, poetae et declamatores, qui inter singulas coenae partes agebant, saltabant, caneabant, recitabantque; ut itaque faciliorem inter gaudia hilaritatemque edulii redderent concoctionem. *Histriones*, declamatores, phrynaeque pariter ad coenae gaudia necessariae putabantur, ac obsonia, cibi, et *ηδύσματα*. Quae autem omnia eo forsan intendebant, ut tanto parciori fercularum copia vescerentur. In praeparandis<sup>1)</sup> et ornandis excellentiores cibis esse gestibant, quam in devorandis avidi.

III. Tertium quidem, quod adduxit Anon. Ps.<sup>2)</sup>, eo redit, quod nimius piscium usus Graecorum stomachos concoctionis molestiis turbaverit. Si autem frequentissimas corporis motiones inter Graecos exercitationes gymnasticas etc. respiciamus, facile intelligimus, his omnibus concoctionem multum adiuvari debuisse. Ni tibi haec placeant, hoc saltem firmiter stat edulia, quae Graeci sumebant, non tantopere concoctioni fuisse contraria, quam ille Ps. putat. Certe *Hippocrates* in libro *περὶ τῶν ἐντος παθῶν* non omnia edulia, quae bene valentibus usu erant, etiam ut in diversis morbis adhibenda commendasset. Si autem meminerimus, quod iam *Galenus* nostratisbus consentiens in libris de alimentorum natura conscriptis exposuit, homini conducere et animalia et vegetabilia ad famem sedandam simul comedere, non est, quod nobis cum *Anonymous* Ps. persuadeamus, morborum, quibus

---

1) *Xenophon. Symposium. cap. I. et cap. VII.*

*Aristophanis achernenses loc. cit.*

*Athenae lib. cit. I. 16.*

2) *Magendie* effatur, optimum parari chylum ex variis cibus, quibus in lauta coena simul fruerentur coenantes. Idem in Schola Salernitana, cuius principes diaetetics magistri eandem *Galeni* sententiam confirmant. Vid. de conservanda valetudine, opusculum scholae salernitanae, edid. *Dr. Phil. Melanthon. Francof.* item *Eobani Hessi* de tuenda valetudine librum, edid. *Placotomus, Francof. 1560.* Ex quibus conjici licet, a *Galeni* tempore ad nostrum usque eandem fere florusse sententiam.

Graeci vexabantur, omnium causam fuisse malam victus rationem. Id quod eo minus placet, cum et aliae morborum causae, quae ad omnem Graecorum vivendi modum pertinent, restent spectandae et investigandae. Inter hos cum b. Meinersio in libr. prius citato praecipue Jonico more viventium vitam effoeminatam, nimiam veneris cupiditatem, et neglectas artes gymnasticas, quas cum ludibriis nefariis commutaverant <sup>1)</sup>, acusarem. Haec enim tantopere enervatorum Atheniensium animos capessiverant, ut sensim ab epularum uberiore exstinctione removerent illos, spectaculorum venerisque magis avidos, ita ut mox his potius illecebris, quam mensae deliciis sese dare praeferrent <sup>2)</sup>.

1) *Athenaei* iib. XIII et XIV. Xenophont. memorabilia Socrat. lib. III. cap. II. Auli. Gell. noct. atticae. I. 8. Plutarch. Aleibiad. 17.

2) *Meiners* lib. cit. pag. 38. *Athenaei*. lib. IV. pag. 134.

### *Notandum est,*

*Ill. Nasse*, praceptoris dulcis consilio dissertationis thema esse electum.

**JOANNIS FRANC. HERMANNI ALBERS**  
**VITAE CURRICULUM.**

Natus ego J. Fr. Herm. Albers ante hos 22. annos Dorstenae, quod est oppidum prope ad Lupiae ripas, parentibus christianis catholicis, Hermanno Albers et Clara Zimmermann, qui, ut Deo placuit Optimo Maximo, puerum me reliquere morientes orbum.

Iam puero non defuit occasio prima litterarum rudimenta gustandi. Primus mihi praceptor evasit cl. Schrick, quem secutus est alter cl. Tenhaven. Religionis sacra mihi gustanda praebuit Ven. Deffte. Rebus mathematicis et linguae latinae studentem Gymnasii Praeceptores Dorstenses non indignum me censuere, qui primam ingredenter classem. Per annos sex continuos hanc propaedeuseos sedem frequentavi, quam denique humaniora petens non invita, ut dicebant magistri, Minerva, reliqui.

Eodem autem tempore lingua gallica et graeca privatim instructus sum, qua  
in re multum debo ornatissimo Henseler. Inter praecceptores Gymnasii Directori  
Clariss. Kanne, viro optimo eruditissimoque, gratias multas habeo.

Sic institutus Bonnam me contuli, ubi a summe ven. Augusti, t. t. Rectore Magnifico  
in civium Academicorum numerum receptus, et apud Illustr. Nasse, t. t. Decanum Medic.  
spectabilem nomen professus sum, ex quo tempore iam in quintum annum perduxii  
studia, quibus Musae Almae Rhenanae vitam ornare meam non desierunt.

Tertio anno academico absoluto ad profectuum qualiumcunque in rebus philosophicis physicisque factorum tentamen ab ampliss. Ordine philosophorum admissus, ex officio huic satisfeci, albo calculo notatus.

De rebus naturalibus paelectiones Prof. clarissimor. a Münchow, Gust. Bischof, Nees ab Esenbeck sen. et iun. et Goldfuss frequentavi. Praeterea cel. Brandisii paelectiones de analysi philos. et Philosophiae historia audivi.

Ut caeteras omittam p<sup>rae</sup>electiones philosophicas, ad enumerandas Medicorum celeber. scholas, quibus usus sum, transeo.

Osteogiam, Anatomiam generalem et comparantem mihi exposuit cel. Dr. *Weber*. Anatomiam corporis humani autem ill. Prof. *Mayer*, qui et foetus physiogiam et anatomiam me edocuit. Uterque vir cl. in cadaveribus arte dissecandis mihi dux fuit. Pathologiam et therapiam generalem, materiam medicam, puerorum morbos, doctrinam de balneis germanicis, diaeteticamque mihi exposuit ill. *Harless*, hoc tempore Decanus spectabilis, cuius y. cl. interpretationi *Aretaei* et scholis de re medica disputa-

oriis quoque interfui. Physiogam humanam et comparantem, anthropologiam, therapiam generalem et specialem morborum mihi tradidit ill. *Nasse*, qui in clinico pathologico et therapeutico per duos annos mihi dux fuit. Cuius benevolentia factum est, ut iam secundo anno assistentis munere in clinico medico fungar. Chirurgiam pathologam et therapiam, operationes chirurgicas, ophtalmiatricen, instrumentarium chirurgicum, doctrinam de fracturis et luxationibus, fasciisque applicandis me edocuit ill. a *Walther*, cuius clinicum chirurgicum et ophthalmiatricum per duos fere annos modo auscultando modo practicando frequentavi.

Artem obstetriciam et theoreticam et practicam me edocuit ill. *Stein*; Xenodochium autem duce ill. *Stein* et *Mayer* per annum frequentavi. Operationes obstetricias in phantomate me edocuit Exp. Dr. *Hayn*. Denique frequentavi ill. Ernst Bischoff paelectiones de materia medica, de epizootiis, de formulas medicas conscribendi arte et de medicina forensi.

Quibus omnibus praceptoribus de me optime meritis gratias, quas verbis persolvere haud valeo, in sempiternum habebo maximas.

C A N D I D A T O D I G N I S S I M O

J. FRANC. HERM. ALBERS,

A U D I T O R I S U O S O L E R T I S S I M O

S. P. D.

**Dr. Chr. Fr. Harless,**

h. t. Decanus et Promotor.

Reddo Tibi, Doctorande dignissime, Dissertationem Tuam, cuius argumentum proprio consilio Tibi elegeras, ipsa materiei dispositione et elaboratione immutatam, prorsusque talem, quam mihi ex officii ratione revidendam tridderas, si modo a paucis quibusdam, quae ad dictionis genus pertinent, emendationibus hinc inde necessariis visis discesseris. Nam etsi in argumenti ipsius, quod omnino specialiori eaque satis ampla et critica pertractatione perquam dignum est, digerendi et exponendi modo ordineque eo, quam Tu hic secutus es, brevitatis lege temporisque angustia cohibitus, haud pauca monenda et supplenda, plura critica face cernenda, ipsaque materia aliter digerenda mihi viderentur, malui tamen laborem Tuum talem, qualis est, diligentiae Tuae, qua inter multos semper conspicuus fuisti, et studii elegantioris testem admodum laudabilem, in publicum emittere, Tibique ipsi illum futuro tempore, subsidiisque litterariis adiunctis, quemadmodum nobis promisisti, ex ipsis fontibus priscis amplius perficiendum relinquere. Doleo tamen, dissertationis partem, pluribus mendis typographicis prae reliqua vitiata, a typographo mihi non ad revidendum oblatam fuisse. Interea macte esto vitae dexteritate et studiorum solertia Tua, Candidate Ornatissime, et me in posterum quoque, ut hucusque suevisti, ama.

Dabam e museo, d. 1. Junii 1828.

# THESES DEFENDENDÆ.

---

I.

*Edulia Graecorum morbis variis provocandis occasionem seminiumve praebuerunt.*

II.

*Aretaeus fuit pneumaticus strictus, non pneumaticus eclecticius.*

III.

*Hippocrates anatomen prorsus non coluit.*

IV.

*Hippocrates a philosophia medicinam non seiunxit, hanc potius cum illa coniunxit.*

V.

*Schola medicorum graecor. dogmatica empiriam cum ratione in medicina eolenda etsi conjungere simulans, tamen haud interiore vinculo coniunxit.*

VI.

*Nullus psychologus, nisi physiologia ac pathologia et humana et comparante imbutus.*

VII.

*Morbū, non eius phaenomena curemus necesse est.*

VIII.

*Aegroti plus damni capiunt ex philosophia quam ex medicina empirica.*

IX.

*Medicina methodo docendi descendique analytica nullum progressum facere potest.*

X.

*Medici, qui homoiopathicam exercent Methodum, nullum hucusque hac ipsa restituerunt aegrotum.*

XI.

*Systema Brunonianum plus nocuit quam profuit.*

XII.

*Magendie's propositum, quod vi nervi laryngei superioris et nervi laryngei inferioris laryngis muscularum antagonismus efficiatur, falsum est.*

XIII.

*Pleuritidis rheumaticae et pleurodynes symptomata, quamdiu morbi recentes sint, non differunt.*

XIV.

*Medicorum quorundam opinio, omnem phthisin pulmonalem ex abdomen ortum ducere, falsa est.*

XV.

*In quolibet morbo pulsus frequens et debilis urgente cutis calore contraindicat digitalem, si facies et urina normales sunt.*

XVI.

*Angina membranacea solum in infantibus occurrit, adultos non infestat.*

XVII.

*In calculo vesicali neque lithotribia Civialis exclusive, neque lithotomy unice sunt adhibenda.*

XVIII.

*Pharmaca non secundum sistema philosophicum quodvis, sed secundum medicorum experientiam et physiologicam et pathologicam ordinare iuvat medicum practicum.*

XIX.

*In curando morbo quisque medicus empiricus erit, etsi invitus.*

XX.

*In curandis plurimis morbis diaeta medicamentis efficacior est.*

XXI.

*Stethoscopon Laennecii medico pratico huiusque iam maxima fuit utilitatis.*